DEO OPTIMO MAX·

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigeſimâ-quartâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. XLIV.

M. HENRICO BESNIER, Doctore Medico, Præſide.

An Parienti Obſtetricis ſola manus?

I.

OBSTETRIX [parientis ſolatium ; ipſamet pariens officii æmula, laboris ſocia, legibus collega, ſanguine affinis, ſollicitudine miniſtra, origine ſoror ; partûs naturalis, ſi facilis, obſervatrix ; ſi difficilis, adjutrix ; ſi contra naturam, curatrix ; Medici, cui ſuffragatur, vices gerens propriâ manu ejuſque conſilio ; à naturâ inſtituta, conſecrata religione, fide obſtricta, ſacris codicibus inſignita ; famâ illuſtris, artis neceſſitate honoranda, fœderata Reipublicæ ; ſexui cujus ſoli & omni convenit obſtetricandi proprietas, nec-non excluſoria ex ore infantium & lactentium addicitur poteſtas, adjudicaturque officii exercitium ab omnium haud interruptâ ævorum ſerie, &c.] eſt ſaga ſeu maga quæ mulierum vivendi normam percallet ; earumdem negotia & officia edocetur ; hujus ſequioris ſexûs perita moris ac genii ; morborum, quibus genitalium causâ laborant, gnara ; quæ utiliſſimam ſe præbet in ejus valetudinis infirmitate curandâ ; domeſticæ pacis minimè perturbatrix, ſed benignè pacifica ; non multiloquax ; pecuniæ nec avida nec cupida ; ſed ſapiens ; temperans ; ſecretorum ſilentio tenax ; æquitate ac probitate candida ; laboris amans & patiens ; quæ propriâ induſtriâ omnibus fœminis, quas curandas ſuſcipit, prudenter miniſtrat ; &c. Hæc definitio per plura gradiens ſæcula ex *Moſchione* ad nos tandem pervenit, quâ ævo ſuo, tot tantiſque virtutibus donatas obſtetrices (quia dociles Medico à quo inſtituebantur) nobis ob oculos ponit ; aſt tunc temporis, *mulierem fortem quis inveniet, procul de finibus terræ*, &c. Plurimas tamen adhuc novit Facultas Saluberrima Pariſienſis alma mater, quas & genuit & educavit, & ipſæ vocem ejus audiunt. In Medicinâ naturæ imitatrice, alius ſic, alius ſic ; iſtos quidem familiæ filios diceres propter propiorem, intimiorem propinquioremque cum arte cognationem, ut ſunt Chirurgi & Pharmacopœi ; alios verò ſervos & artifices quoſque ſuo peculiari modo quo utilitates & commoda omnia homini ſuppeditant. At Medicus videatur vir ; obſtetrix fœmina, uterque conjux in hac familiâ, in quâ natorum quaſi parentes religioſè obſervantur. Vir caput fœminæ ; Me-

dicus, obstetricis Doctor; hæc humanæ gentis mater; ille & matris ipsiusmet Pater, Dux & Præses; hæc manu, hic consilio mutuò juvant & juvantur uterque tanto in opere quod sæpissimè sola perficit natura, nonnunquam dirigit ars. Ergone obstetricio ritè patrando impar erit fæmina quam sufficientem, imò habilem ac idoneam & propriam jure ac meritò judicat Medicus; demonstrat apertè quotidiana experientia; confirmat certè sæculorum retrò vetustissima antiquitas?

I I.

MEDICUS [omnium hujusce mundi phænomenωn observator; rerum humanarum sanitatis causâ inspector; cujus conservator, reparator, auctor semper pervigil] summo jure judicat de organorum naturâ, extensione, viribus, commercio, actione, patibili qualitate, loco, situ, & omnibus circumstantiis quibus hæc omnia sese ad invicem habentur. Ipse & judicat de partu ac de aliis corporis humani functionibus; pronunciat & ipse secretionem excretionemque esse ad instar sanguinis & humorum circulationis, respirationis, deglutitionis & cæterarum actionum suo modo, suo ritu, suo ordine peragendam. Decernit & ipse dolore quidem & labore partum fieri; sed laborem doloremque cum genitalibus opus partiri asserit; docet ipse nec procrastinandum, nec anticipandum; prudenter quidem promovendum, non autem accelerandum prmaturè. Narrat ipse interpretationis & documenti gratiâ plura fœcundæ familiæ exempla quibus tanquam manu-ductione viam ad praxim suæ artis aperit & indicat. Declarat ipse partus diversorum animalium perfici eodem more, naturâ solâ famulante, dum sui juris sunt; artem verò nonnunquam advocandam, si domestica, si mansuefacta, si cicurata nostris legibus assuefiant. Quot fructus enumerat ipse deciduos sponte plantis, in quibus diversa germinandi, augendi, maturandi ratio videtur; via verò nascendi planè eadem atque constanter æqualis. Idem omninò dicendum de hominibus prægnantibus quibus naturæ & artis sua est ratio; si illius leges spontè observent, spontè & functiones sequentur; si abnormes vivant, jam hujus instat necessitas: at alterutrius aut utriusque prodeant vexilla, ambarum conspiratio par, consensus idem; inter se aspiciunt, alia aliam mutuò & alternis juvat; obstetricis igitur præsentia atque inspectio raro admodùm absolutè necessaria; sæpè necessaria utcumque; utilis & proficua sæpissimè; semper & ubiquè secura etiam ferians ne necessitas artis fortè nascatur.

I I I.

EXPERIENTIA [rerum magistra; observationum occasio; tempore prior scientiâ; nobilitate sequior; hâc stabilita, hâc & certior; aut saltem unà simul conscia, si ambæ amico uniantur nexu; ipsiusque principium & fundamen; comprobatio factorum; essentialis testimoniorum conditio; &c.] est cum aut sine scientiâ ac methodo rerum omnium usus; plura per individua praxis plena periculis, si scientia desit; giganteo passu secura percurrens quæque facienda, si previo ratiocinii filo manu quasi ducatur. Sunt res, quæ, quibusque momento, horâ, die, mense, anno, sæculo, diu noctuque, &c. fiunt, quarum testes præsentes hic vel ille, plerique vel omnes, certiores evadunt experientiâ momentaneâ, quotidianâ, annuâ, &c. Certo certius est experientiâ quâlibet, nec-non quibusque omnium ætatum, regionum, sexuum, conditionum testibus, partum esse facilem, naturalem, corporis humani functionem quæ quibusdam infirmitatibus symptomatibusque stipata, sana tamen perficitur. Quot centena partuum millia quos inspicere & mirari, quibus adesse & præsentes esse obstetrices sufficit; eorum verò quibus auxiliari oportet, quot alia centena millia in quibus nec manu quidem, ne dicam ferro, unco, scalpello, &c.

tui necesse est, imò religio foret: in primo casu emineant patientia, hortamenque semper; in secundo casu, omnia quæ in primo venêre, admodum sint usui; sed quæ sequuntur, depromantur insuper; pro dolorum gradu, eorum mitigatio si enormes, eorumdem stimulatio si omninò desint, adhibeatur: si aquarum effusio præcedit genitalium relaxationem, cohibeatur quantum possibile, dum citò ungantur, illinentur, emolliantur; si contrà, tutò effundantur aquæ, jucundè prodeat fœtus: si vires linquant cardiaca, si animi & sanguinis motio major, à fermescentibus abstinentia, &c. Illìc prophylaxis; hìc therapeutica puerperarum inerte manu admittenda: nonnunquam tandem sed rarò accidit partus, cui obstetrici necessaria accedat manus, contra naturam quem vocant, propter membrorum infantis ad vulvæ orificium, quo egredi nequeat, situm omnem præter duos, aut capite, aut duobus unà simul pedibus, utrumque prono vultu. Hic loci occurrit opportunè nec solum prædictarum nec-non & omnium virtutum cumulata complexio; sed luculenrer elucet manûs agilitas in fœtu invertendo citò citiùs ne moretur, diutiùsque parturientis dolores perdurent; apertè etiam deprehenditur manûs oculatæ dexteritas in inflectendorum jamjam nasciturі fœtûs membrorum conversione tutò tutiùs, ne ossium luxatione, fracturâ, molliumque partium nimiâ pressione aut contusione non sit innocens; tandem non minorem adstantium movet admirationem, ejusdem animi firmitas & constantia; virium verò robur præest admodùm quibus famularum auxiliatrices manus adhiberet, si non pares; ita ut jucundè dolorum jam immemor puerpera, quia mater infantis quem genuit gaudia habet & lætantur omnes. Hic & ubiquè terrarum urbi & orbi tales obstetrices omnibus tùm medicis, tùm moralibus, animique & corporis virtutibus instructas suppeditat natura, ars, religio, consuetudo, conditio, omnium Medicorum Orthodoxorum maximè doctrina atque institutio; istas matronas huic officio eò magis aptas, quò viros obstetricio ineptiores è contrario novimus, negare, absurda est blaterare, turpiter mentiri, aut desipere.

I V.

VENERANDA temporum antiquitas [Chronicorum alma mater; rerum præteritarum memoriale; præsentium exemplar; futurorum præsagium; nusquam reditura vorantis omnia temporis pars] est permanens rerum memorabilium, in quo reconduntur monimentum; hoc instrumento experientiæ usum demonstrantis & Medici artem docentis symbolum confirmatur, quô præteritorum in Medicinâ facinorum ad nos usque pervenit cognitio: sic veritas pro temporum infelicium prolapsu, vulgi erroribus, scandalis, ac superstitione quasi obruta atque sepulta jacens, alacriter è tumulo surgens, vivit moritura nusquam, ut pote suum in sole tabernaculum ponens: sic veritas in Bibliorum antiquissimo Pentateucho dicto pluribus in locis obstetrices honorandas & scientiâ & probitate nobis apertè revelat: sic veritas eadem in diversis aliis Scripturæ locis obstetricum existentiam, functiones, munera certò confirmat: sic eandem veritatem ex asseveratis omnium populorum, locorum, sæculorumque legibus, & ex statutis omnium regnorum diversâ linguâ transactis, nec-non ex innumerabilibus ad obstetrices spectantibus circumstantiis jure ac meritò testantur Medici. Hinc inconcussæ veritatis hujus sequuntur probationes. 1°. Obstetricatûs, quæ à viris exerceatur, artem usque nunc, nedum antiquitùs prorsùs ignotam, imò impræsentiarum & authoritate carentem atque titulis. 2°. Mulieres sive matronas apud omnes populos (Hebræus dum vexilla pangat) obstetricatas fuisse, suamque propriam artem ab orbe condito legibus invaluisse. 3°. Ex factis, gestis atque facinoribus quæ cujusque sæculi serie prostent non deprehendi uspiam viros in ipso puerperii aut simili casu præsto fuisse. 4°. Nec sanctissimæ religionis

mores, nec aliarum etsi profanarum religionum ritus, quibus pudor atque verecundia in ſexu devoto ſervatur, minimè ſpernendos.

V.

VIRILE obſtetricium [cuilibet Linguæ, Populo, Regionique ignotum; gravidis, parientibus, nec-non puerperis ſemper inutile; nuſquam neceſſarium; ſæpiùs oneroſum; periculis plenum; ſatuum viris; coram mulieribus ridiculum ac indecens; rationi, religioni, legi cuique contrarium] exulet ergò. Aſt quot & quanta adversùs ratam hanc veritatem inſurgent argumenta? Prodeant. Poteſt-ne & Chirurgus quod Obſtetrix? Minimè. Hæc enim à naturâ capax, habilis à Medico, ab experientiâ facilis, à religione probata, à legibus ſancta, à ſæculorum poſſeſſione confirmata; ille verò versâ vice. Deindè dicet quis Chirurgum ob neceſſitatis caſum præferendum : ſed quis caſus, quæ neceſſitas? Num ſanguinem dum mittere eſt; luxata membra adaptare; oſſa componere fracta; vulnera, ulcera curare; &c? Hæc omnia ad partum modo quàm indirectò veniunt! Inſtat Chirurgorum legio : in partu cæſareo, dum capitis aut totius corporis majus volumen, aut oſſa innominata malè conformata, abſceſſus, hydrops, &c. ubi partus ferramento egent, negabis advocandos neceſſariò Chirurgos? Quaſi quotidiè hîc & ubiquè acus, gladius, forfices, ſcalpellus, ſyrinx, & alia inſtrumenta ad mulierum manus non deprehenderentur quibus diverſas artes obſtetricatu difficiliores admodùm profitentur: annuimus tamen eorum operationibus [dum manus ferramentis inſtruendi] non quidem obſtetricum impotentiæ causâ, ſed quia poſſeſſione & uſu obtinent, eorumque operam conteſtando extra obſtetricii limites denunciamus, etiamſi in obſtetricio neceſſaria licet fortuita obveniat. Vulgus obmurmurando clamabit Chirurgum robuſtiorem corpore, firmiorem animo: ſic ad primum. Leviori rhedâ ferociores domantur equi. Ad ſecundum. Timendum imò ne crudelior, ubi ejus ſexui deficiunt naturalis manſuetudo, innata lenitas, atque congenita muliebrium ſcientia rituum, & alia bene multa quæ ſilentium decent. Chirurgis ergò nullus reſtat in obſtetricio locus quâque de causâ, quâque ratione, quoque pretextu.

Ergò Parienti Obſtetricis ſola manus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Silveſter-Antonius le Moine.
M. Julianus Buſſon.
M. Joannes Aſtruc, Salubris Conſilii Regii Socius, Regis Poloniarum Auguſti II. Electoris Saxoniæ, dum viveret, Medicus Primarius, & Profeſſor Regius.
M. Petrus-Joſephus Macquer.
M. Petrus Bercher.
M. Franciſcus Mery, Scholarum Profeſſor deſignatus.
M. Joſephus-Maria-Franciſcus de la Sône, Regiæ ſcientiarum Academiæ Socius.
M. Urbanus de Vandeneſſe.
M. Joannes-Baptiſta Du Bois, Profeſſor Regius.

Proponebat Pariſiis, LUDOVICUS PATHIOT, Tricaſſinus, Saluberrimæ Facultatis in Univerſitate Pariſienſi Baccalaureus, A. R. S. H. 1744. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Pariſienſis Typographi, 1744.